



**A** Delboldus eruditione & pietate insignis, primò monachus Lobiensis ordinis S. Bene dicti fuit, & omnes homines ad uerā religionem & uitæ innocentiam hortatus est. Itaq; factum, ut communī consensu præsul Traiectensis creatus fuerit. Eam ecclesiam ducentos & amplius annos Carolus Magnus multis priuilegijs & opibus exornarat, atq; finitima loca ei subiecerat. Cum autem Holandiae comites repugnarent, atq; alios ad defectionem pellicerent, S. Heinricus Imperator, uirtutibus Adelboldi impulsus, uetera priuilegia Traiectensib. confirmauit, atq; author extitit, ut finitimi comites & nobiles iuramentum olim præstitum renouarent. Imperatores optimi optimos Episcopos eligebant, atque sperabant eorum autoritate & exemplo finitimos homines in uera pietate conseruari posse. Hisce etiam potentiam addebant, non ut pompam huius seculi imitarentur, sed ut impios & repugnantes coércerent. Hinc factum ut eius temporis præsules opibus insignes, plurima templa, monasteria, & sacras ædes in sua ditione ædificarint, & multis redditibus donarint. Postea autem crescente ambitione, avaritia, & fastu, munitiones & arces Episcopi erexerūt, atq; arma tractare cœperunt. quo factum ut principes & comites irritati, Ecclesia bona inuaderent, atq; sua iura feruentius persequerentur. Id quod maxime in Traiectensi Episcopatu patet, qui hodie magna ex parte Holandiae comitibus & Brabantiae ducibus cessit. Scripsit Adelboldus uitam S. Heinrici præterea librum de laude S. Crucis, & alium de laude beatæ Virginis, atq; reliqua tam metro quam prosa, ut suo tempore ob eruditionem in magno loco extiterit. Monst. lib. 3. Ges. in Bibliotheca.